



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Agnes Politiana V. 20. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

omnino dies rotidēque noctes assiduas saltando se exercuerat, cū quiescit tandem morte subitā prostratus, nec jam ille domum Domitillam, sed illum domum Proserpina ducit. Porro SERVILIANNUS & SVLPIIVS, firmati his miraculis, non dubitarunt postea pro Deo & castitate cetvices præbere securi secandas, rectius capite, quàm Aurelianus pede saltaturi. *Ex gestis SS. Nerei & Achillei apud Sur.*

*Debet bene conscia mentis esse lætitia non inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphonis; ibi enim intus a verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum extrema est saltatio. Nemo enim, ut dixit quidam secularium Doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. S. Ambr. l. 3. de virg.*

## S. AGNES POLITIANA V. 20. Aprilis.

**N**Atale solum AGNETI mons Politianus est. Quo die in lucem prodiit, multis vicinus æther facibus stellans illustris vitæ primordia celebravit. Nono ætatis anno, quo virgines alię totę pendunt à matribus, D. Dominici institutum in sacro Parthenone complectitur. Quindecim annis pane & aquā victitavit; sæpeque cælesti pluviâ, qualis Hebræis per desertos Arabiæ campos momentibus annona fuit, inter precandum est operata. Tres aliquando gemmas ei Deipara dono dederat, vaticinata, suo honori aliquot ab AGNETE templa constituenda. Iesulum aliàs in sinum ejus infuderat: cujus è collo crucem eam abstraxit, quæ in hæc usque tempora ad facti memoriam piorumque venerationem conservatur. Sæpè ab Angelo divinam hostiam accepit. Balneum, quo valetudinis causâ utebatur, cælesti manna infusum



stratum eoq̄ue loco fons medicā salubritate præditus erupit. Et quemadmodum sæpè divinos genios vivens habebat hospites, ita moriens eosdem adepta comites, in cælum evolavit, anno salutis M. CCC. XVII. Mortem multi infantes à suis cunis, quā sermone, quā cantu celebrarunt. Corpus putredine taboq̄ue intactum virtutum ac præcipuè castimonie luculentam præbuit testimonem. *Ex Bullâ Canonizat.*

*Ut sancta anima Christi caractere utrobique signetur, eum in corde suo signaculum ponat, ut amoris ejus facibus medullitus inardescat; ponat etiam in brachio, ut piis operibus valenter insistat.* S. Pet. Damian. l. 7. ep. 9.

## S. ANSELMVS EP. 21. Aprilis.

**F**Acilè mundum despicit, quisquis æquis oculis aspicit. Testis luculentus ANSELMVS est. Vidit hic (nebulam ab oculis Deo removente) quem nos mundum dicimus, immundam, quā patet, paludem esse, cœni omnis ac sordium colluviem: in hâc volutari miseros homunculos; hinc delicias suas haurire delicatulos, hinc gemmas quærere avaros, hinc triumphare ambitiosos. Miratus ANSELMVS posse tam sordidâ lacunâ pisces gaudere tam nobiles, oculum ad religiosorū septa transtulit, & ædes sibi videre visus est regio opere structas, & omnibus deliciis affluentes. Has itaque ingressus, ex Monacho Cœnobiareha, ex Cœnobiarcha Pontifex Cantuarie mortuus memoratur, anno M. C. IX. vir qui è minimis quibusque rebus maxima dare documenta scivit. Nam, ut alia silentio prætermittam, cum lepuseulum sub equum suum fugientem à canibus undique cingi